



## **Christ-eyfriger Seelen-Wecker/ Oder Lehrreiche Predigen**

...

... Quadragesimale, Das ist: Die heilige Char-Wochen ... Dritter Theil

**Barcia y Zambrana, José de**

**Augsburg, 1719**

Remissiones Sev Allegationes In usum Concionatorum, in quibus eis veluti  
in mappa Geometrica exhibentur loca illa in prima, & secunda parte  
Excitatoris, ex quibus facilè formari possunt conciones ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76494)





# REMISSIONES,

SEU

## ALLEGATIONES

In usum Concionatorum, in quibus eis veluti in mappa Geometrica exhibentur loca illa in prima, & secunda parte Excitatoris, ex quibus facile formari possunt conciones quadragesimales: & quidem quoad tertiam hanc partem sequentes adjecit ipse Author.

### Dominica Palmarum

Sequentes exhibet formulas.

1. Thema: *Cum appropinquasset JESUS Jerusalem.* Matth. 21. Hodie receptus est cum pompa, & die quinta fuit crucifixus. Ubi S. Bernardus ait: *Quis sperare jam debeat in incerto gloria temporalis?* Adhibeatur hic sermo Excitatoris 14. *De fluminibus Babylonis.*
2. ALIUS SERMO: Them: *Et venisset Bethphage.* Bethphage S. Antonio de Padua est *peccatorum confessio.* Huc misit Dominus ministros suos Apostolos, ut solvant jumentum, id est peccatorem. *Solvite.* Absolutionem à peccatis debet præcedere perfecta *peccatorum confessio:* prius venit in Bethphage. Adhibeatur serm. 55. *De confessione.*
3. ALIUS SERMO: Cujus Them. *Dicite, Dominus hic opus habet.* Ergone Dominus omnium te quapiam indiget? Et sanè, in modum Matris nempe, cujus tumentia ubera fugentem operiuntur. Ita angitur Dei bonitas, sensu nostro, ut se communicet, & opus habet recipientibus se. Adhibeatur serm. 10. *de misericordia* & serm. 52.
4. ALIUS SERMO: Them. *Confestim dimittet eos.* Quis dimittet? Proprietarius. Hos autem plures habuit teste S. Luca asinus: nam: *Dixerunt Domini ejus.* Luc. 19. Ita profectò peccator vile jumentum est tot Dominorum, quot vitiorum. Legatur hanc in rem serm. 2. serm. 49. n. 29, serm. 24. serm. 58. n. 18.
5. ALIUS SERMO: Them. *Ecce Rex tuus venit tibi.* Quare enim venit tibi, nisi ut sanctissimam ejus vitam observes, atque imitari. Quia utique non ut Redemptor duntaxat venit, sed etiam, ut Doctor, & Magister, vitæque humanæ formula, & exemplar futurus. Adhibeatur serm. 44. *De vita Jesu Christi Domini nostri.*
6. ALIUS SERMO: Eodem Them. *Ecce Rex tuus venit tibi.* Et verò Ecce anima, ecce Jerusalem; nam venit Tibi in tot prædicatoribus, atque in clamat: *Quid fecisti? Nondum ad frugem redisti? Jam brevi finientur conciones, sed tua obligatio tò magis incipit.* serm. 61. *De reddenda ratione super factis sibi concionibus.*
7. ALIUS SERMO: Them. *Venit tibi mansuetus.* Nunc quidem omni mansuetudine plenus venit: Verùm vae tibi! si cunctaris quoad veniat omni plenus justitiæ rigore! Videantur serm. 6. 19. 22. 31. & demum serm. 10. *de Temeraria confidentia.*
8. ALIUS SERMO: Eodem Them. *Venit tibi mansuetus.* Ideo certè, ut te mansuetudinem doceat in irruentibus adversis non perturbandam; si tamen vis triumphantem Jerusalem ingredi adhibe serm. 59. *de diligendis inimicis.* & ex prima hujus quadragesimalis parte serm. 3. & 4.
9. ALIUS SERMO: Them. *Venit tibi:* Sive nit tibi, quomodo cum recepisti tu? *Stra-verunt vestimenta sua in via.* Exuisti vestimenta tua vetera? nempe ita exuisti, ut is, qui dormitum concedit in lectum, qui post somnum ea rursus induit. Vitasti occasionem malam fortè propter quadragesimam tantum? Adhibeatur serm. 60. *de recidivis in vitia.*



## Remissiones.

10. ALIUS SERMO : Them. *Straverunt vestimenta sua.* Apostoli suis vestibus ornaverunt alinum, & pullum asini; fuisset enim indecens, ut Dominus sine omnibus Phalati planè nudis inaquitaret. Potest fieri serm. 41. *de vestitu prophano præsertim ex num.* 18. *ibidem.*
11. ALIUS SERMO : Them. *alij cadebant ramos de arboribus &c.* Ergo nihil præter ramos? Ubi nam hæret radix bonæ intentionis circa opera tua? Confitetur: elemosynas largiris &c. pulchri certe rami: at nisi radicem bonæ intentionis unâ offers, rami sunt, & nil aliud. Dicitur potest sermo 25. *de examine honorum operum.*
12. ALIUS SERMO : Them. *Ramos de arboribus: absque radice igitur?* audiatur S. Gregor. h. 27. *Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis.* Quid requiratur, ut opera sint meritoria? serm. 26. *de examine virtutum.*
13. ALIUS SERMO : Them. *idem: Ramos de arboribus.* Quid est ramos præsidere sine radice? Quid est confessio, si non præcidatur & radix perverſæ occasionis? certe tedibus ad vomitum. serm. 60. *de relapsu* serm. 62. §. 4. serm. 58. §. 9.
14. ALIUS SERMO : *idem Them. Ramos de arboribus.* Non sufficit ad perfectam penitentiam ramos peccatorum præcindere, nisi etiã vitiosi habitus, & affectiones eradicentur. Sic enim assiduam remanet relabendi periculum: adhibeatur serm. 43. *de consequentiis internis.*
15. ALIUS SERMO : *idem Them. Ramos de arboribus.* Si relinquitur radix mali exempli etiã post mortem hominis perniciosæ pullulabunt sequelæ; serm. 34. serm. 35. serm. 36. & quivis denique usque ad 43 qui nempe occasione magis deserviet.
16. ALIUS SERMO : Them. *Ramos de arboribus, & sternebant in via.* Quidnam tu denique stavis in via? Aliqui prosternunt lapides in via, ut sunt qui scandalizant proximos: inquit Doctissimus Discipulus serm. 26. *de peccatis alienis*; vide serm. 36. serm. 37. & 38.
17. ALIUS SERMO : Them. *Ramos de arboribus.* Hodie Ecclesia ad processionem distribuit ramos sunt autem rami hi juxta Bernard. & Hugo de Prato Florid. *Exempla vitæ à sanctis Patribus qui magna arbores in Dei Ecclesia extiterunt.* serm. 45. *de vitis Sanctorum.*
18. ALIUS SERMO : *idem Thema: Ramos de arboribus.* Ecclesia hodie cuilibet statui dat suum ramum in processione, qua ad æternam vitam triumphantis Jerusalem proceditur, gestandum: serm. 27. *de statibus.*
19. ALIUS SERMO : Them. *Ramos: Videlicet oliva,* ait S. Anton. Pad. Et sic Ecclesia ostendit, & innuit, nunc dari misericordiæ olivam; at in supremo judicio minime inveniendam. Legantur serm. 10. 19. 31. *de judicio universalis.*
20. ALIUS SERMO : Th. *Ramos: nempe Palmarum,* inquit idem S. Anton. de Padua. Palmas offert Ecclesia, quæ folia habent instar gladij, quo passiones jugulentur, & abscindantur abusus. serm. 42. *de diversis abusibus.*
21. ALIUS SERMO : Them. *Ramos de caloribus. Ramos arborum fructiferarum.* ait Hug. de Prato Flor. Hos nempe gestare debemus in vitæ hujus processione, ut ad celestis Jerusalem gloriam valeamus ingredi: fidem scilicet cum operibus; & studio &c. serm. 40. & serm. 54. *de probationibus.*
22. ALIUS SERMO : *idem Them. Ramos de arboribus:* Distribuit Ecclesia ramos mysticæ cujusdam significationis, quibus designantur illæ arbores, quæ stabunt in monte gloriæ. Quales autem tu habes ejusmodi Ramos? serm. 48. *de signis Prædestinationis.*
23. ALIUS SERMO : *idem Them. Ramos de arboribus:* Ubi S. Anton. Pad. *Palmarum,* inquit: Doctissimus autem discipulus ait: *Palma semper vivet; in vere in autumno in hyeme, in estate.* Est proin symbolum perseverantiæ, quæ sola coronatur. Adhibeatur serm. 62. *de perseverantia.*
24. ALIUS SERMO : *idem Them. Ramos de arboribus.* Ecclesia ultima hac die Dominica distribuit ramos, simulque innuit in gratia esse perseverandum: idem serm. 62. ubi dantur remedia perseverantiæ.
25. ALIUS SERMO : Them. *Hosanna &c.* Populus latatur, JESUS lacrymatur: Luc. 19. *Videns civitatem flevit.* Cur autem hoc? ideo, quia Dominus vidit interitum civitatis, cujus causa erant peccata. *O anima si cognovisses & tu &c.* Adhibeatur serm. 4. & 5. *de peccato.*
26. ALIUS SERMO : Them. *Ramos de arboribus: videlicet oliva, & palmarum,* ut ait S. Anton. Pad. Non debent dividi rami isti, nihil enim valet unus sine altero: timeat peccator gladium palmæ, & confidat, si videt, oleum olivæ. serm. 10. *de confidentia temeraria.* Vide etiam hic serm. de bono latrone. *Qui est.* 56. §. 5.





# Die Jovis hebdomadæ magnæ ad mandatum seu lotionem pedum.

## Authoris Remissiones ad Excitatore[m].

1. Them. *Cum dilexisset suos.* Joan. 13. à sus usque æternitate: videatur serm. 20. §. 2. *In finem dilexit:* quin nostra ingratitude fatigaretur. Videatur serm. 52. §. 5. *Cum dilexisset suos.* Suos nos vocat, quia non malitiam in nobis respicit, sed miseriam item serm. 52. §. 7. *Capit lavare pedes:* ut exemplò suo doceret humilitatem. Videatur serm. 48. §. 10. *Quis tenuat prompta gratitudine huic amori respondere?* serm. 83. *Leges gratitudinis.*
2. ALIUS SERMO: Them. idem: *Cum dilexisset suos.* In quo cognoscatur, quòd quis sit suus? Hug. de Prat. Flor. ait: *Suos discipulos per doctrinam, filios per gratiam, amicos per obedientiam, socios per perseverantiam.* Adhibeatur serm. 48. *de signis Prædestinationis.*
3. ALIUS SERMO: Them. *Capit lavare.* Ergo non erant mundi? Erant certè: nam ait: *Vos mundi estis.* Quid ergo lavantur? *Ut pedes lavet.* Hic Bernardus: *Pedes: inquit, id est affectiones.* Adhibe serm. 43. *de consequentiis internis.*
4. ALIUS SERMO: idem Them. *Capit lavare.* Ubi Hug. Prat. Flor. interrogat: *Quis lavit? quos lavit? à quibus lavit?* Dignissimæ sunt istæ Dei erga hominem misericordiæ consideratione sua admodum seriæ. Legatur serm. 1. ubi sicut invitatio ad misericordiam.
5. ALIUS SERMO. Them. *Quod ego facio, et nescis modo, scies autem postea.* Modò multa quidem in divina Providentia mysteria, & arcana sunt, sed veniet dies, qui revelabit omnia. Serviet serm. 32. *de occultis providentijs.*
6. ALIUS SERMO: Them. *Si non laverò te &c.* Terribilis interminatio! Sciat proin peccator, quòd, nisi aquis penitentiae lavetur, partem in gloria non sit habiturus. Legatur serm. 55. *de Confessione.* Nisi confiteatur peccatum, quod prius reticuit serm. 56.
7. ALIUS SERMO: idem Them. *Si non laverò te &c.* Ubi Hug. de Prat. Flor. addit. *Quia nihil coinquinatum intrabit.* Quamobrem magna exigitur puritas, ut quis ingredi queat in civitatem gloriæ. serm. 80. *de mystico sui ipsius examine,* & exploratione. Sive serm. 54. *de probationibus ad gloriam.*
8. ALIUS SERMO: Them. *Domine non tantum pedes, sed & manus, & caput.* Amor fecit audacem in resistendo, timor comminationis fecit nimium in obediendo: neutrum bene; sed optimum est inter timorem, & spem medium tenere. serm. 10. *de temeraria confidentia.*
9. ALIUS SERMO: Them. *Qui lotus est non indiget, nisi ut pedes lavet.* Non opus habet, ut lavet caput: Nam, caput est bona intentio: ait S. Bernardus. Atqui plurimum habet, quod lavet, is qui in suis operibus non habet puram intentionem. Videatur serm. 25. & 26. *de bonis operibus.*
10. ALIUS SERMO: Them. *Ut pedes lavet.* ubi Palud. ait: *Pedes non lavantur, quando immanditia in pedibus est inveterata.* Mala consuetudo huic lavacro repugnat. serm. 11. *de mala consuetudine.*
11. ALIUS SERMO: Them. *Exemplum dedi vobis.* Est nimirum Christus JESUS Redemptor, Magister, Superior, & Pater noster, ut eos, qui Magistri, Superiores, aut Patres sunt, doceat, quantum sint obligati, ut & ipsi bonum dent exemplum. serm. 28. serm. 34. & 35. Videantur item indices: V. *Exemplum scandalum. &c.*
12. ALIUS SERMO: idem Them. *Exemplum dedi vobis: adansueruntis,* ait Ven. Bed. dum ad pedes Judæ inimici sui in genua se dimisit, ut hoc exemplo excitati omnes inimicis suis ignoscant. Vide serm. 59. *De diligendis inimicis.* Ita & peccantibus in nos dimittere festinemus. ait Beda.
13. ALIUS SERMO: Them. idem. *Exemplum dedi vobis.* Est Christus Dominus Redemptor noster, & Magister, simul ac exemplum, quod sequi debemus. Lege serm. 44. *de vita Jesu Christi Domini nostri.*
14. ALIUS SERMO: Them. *Ita & vos faciatis?* Quid faciamus? Mysticam lavationem, ait Faber: & primò quidem: *Surgit à cæna:* ita & tu surge à cæna tuorum appetituum. Secundò: *Ponit vestimenta;* tu verò pone peccata tua, & vitiosos habitus. Tertio: *Præcinxit se:* & tu cinge te eonstringendo cor tuum dolorifera contritione de peccatis, & firmo emendationis proposito. Quarto: *Aluit aquam in pelvim;* Sic & tu peccata tua ad pedes confessarij in confessione aliqua clara, & limpida, ut est aqua, effunde. Quintò: *Extergere linteo.* Ita tu quoque pedes affectionum tuarum satisfactione exterge per opera pænalia. serm. 55. & 56. *de confessione.*

AS (o) SV



## Remissiones.

## In Cæna Domini

seu

## De Institutione SS. Sacramenti.

**H**ic author remissiones formatas non habet, sed ad Excitatoris indicem lectorem mittit verbo. *Communio: & Eucharistia.* Sed NB. in Eucharistiali suo proximè imprimendo, talem habet cornucopiam, ut ad plura ne cupidissimi quidem librorum commessatoris spes, & fames

porrigere se possit. Habet enim ibi præter octo-decim sermones bene longos sexaginta plantas, ut ipse vocat, quibus si paululum aquæ de cisterna propria diligentia affuderis, facile in novos sermones crescent. Illuc ergo mitte-  
ris.

## De Passione Domini.

**Q**uomodo plures fieri possint sermones vide ea, quæ author annotat post suum de Passio-

ne Domini sermonem, præsertim fol. 141, ubi aliquas invenies Remissiones.

## De Resurrectione Domini

In Festo Paschæ.

Remissiones Authoris.

1. Them. *Maria Magdalena, & Maria Jacobi & Salome* &c. Marc. 16. Tres istæ Mariæ: *Tres mulieres*: ait S. Bernardus serm. 2. *Mens lingua, manus.* Vide, num cogitationes tuæ, verba, & opera JESUM Christum querant. Adhibeatur serm. 54. *De probationibus.* serm. 44. Item videatur serm. 22.
2. ALIUS SERMO: Them. *Valde mane.* Dominus surrexit valde mane: *Sic & tu non serò*, inquit S. Bonaventura serm. 5. *Sed mane resurge à peccatis.* Vide sermon. 6. & 7. & 8. *De sera pœnitentia.*
3. ALIUS SERMO. Idem Them. *Valde mane.* Hem quanta vigilantia, quanta diligentia! *Santæ mulieres*, inquit Vitriac. serm. 3. *Summo diluculo venerunt.* Quis pudor: quale iudicium manebit salutis suæ incurios? serm. 4. *De viris Sanctorum.*
4. ALIUS SERMO. Them. *Quis revolvat nobis lapidem? Per duritiam lapidis*, ait Vitriac. serm. 3. *Difficultas bene operandi.* Ad finem noctis in hac vita quàm ardua, & difficilis erit pœnitentia? serm. 9. *De pœnitentia in morte.*
5. ALIUS SERMO. Idem Them. *Quis revolvat nobis lapidem?* in quæ verba iterum Vitriacus serm. 3. *Obstinatio indurate mentis designatur*: inquit. Si mala consuetudo usque ad obstinationem pervenit, valde difficilis efficitur conversio serm. 11. *De perversa consuetudine.*
6. ALIUS SERMO: Them. *Viderunt revolutum lapidem.* Ubi S. Ant. Pad. serm. in die Paschæ: *Angelus est gratia Spiritus Sancti*, inquit, *que lapidem removet &c.* Facta seria resolutione omnia facilia sunt, cum gratia. Serviet serm. 56. *De integritate Confessionis.*
7. ALIUS SERMO. Them. *JESUM queritis Nazarenum crucifixum.* Surrexit Dominus cum vulneribus, eaque ostendit. *Sic, qui Surrexit*, inquit Guiliel. Patif. serm. 3. Dom.

4. post Pasch. *Pœccata sua per confessionem ostendere debet.* Adhibe l. 55. *De confessione.*

8. ALIUS SERMO. Them. *Surrexit.* Ut ait S. Bonav. serm. 4. *Verissime.* Ut etiam peccator surga, debet habere verum dolorem & propositum &c. serm. 55. *De qualitatibus bone confessionis.*

9. ALIUS SERMO. Id. Them. *Surrexit.* Ubi iterum S. Bonavent. serm. 5. *Immortalis*, inquit, *Sic & tu resurgas in conversione, ut de cætero non moriaris in transgressione.* Deterior est relapsus, quàm lapsus. serm. 60. *De relapsu.*

10. ALIUS SERMO. Id. Them. *Surrexit.* Ut quomodo Christus surrexit à mortuis, scribit S. Paulus ad Rom. 6. *Ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Per perseverantiam itur ad coronam. Adhibe serm. 62. *De remediis perseverantia.*

11. ALIUS SERMO. Id. Them. *Surrexit.* Ubi rursus S. Bonaventura glossatur: *Integralis*, inquiens serm. 5. *Unde nec manum, nec pedem reliquit in sepulchro.* Ita & confessio debet esse integra, & non mutila. serm. 56. *De integritate confessionis.*

12. ALIUS SERMO. Id. Them. *Surrexit.* Quare non etiam tu surgis, & prodis de sepulchro occasionis perversæ? serm. 58. *De occasione proxima.* Quare non ignoscis? videatur in prima parte Quadragesimalis serm. 4. & 5 & in Excitatore serm. 59.

13. ALIUS SERMO. Them. id. *Surrexit.* Ut in novitate vitæ ambulemus. Ad Rom. 6. Quomodo homo Christianus debeat spiritualiter renovari. Videatur in parte secunda hujus quadragesimalis serm. 33. & 34. *De encamis.*

NB. In Eucharistiali seu tomo Divino invenies etiam de resurrectione Domini duas conciones. 3. & 4. quas vide.

FINIS.

INDEX